



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Praepositura Capellensis in vrbe Bruxellensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

An. 1076.

An. 1211.

Jnnij 23.

fodi sibi sepulcrum fecit. Obijt autem B. Liebertus anno millesimo septuagesimo sexto, conditusq; est in hoc cœnobio à se constructo, itemq; in tumulo iampridem sibi parato; post ab Alberico Remorum Archiepiscopo, anno millesimo ducentesimo vndecimo in locum honorificentio- rem translatus. Vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.

Præpositura CAPELLENSIS in vrbe  
Bruxellensi.

**A**B isto S. Sepulcri cœnobio, dependet cella, seu Præpositura, vt vocant, B. Mariæ Capellensis, olim extra, nunc intra muros vrbis Bruxellensis sita, quam monachi aliquot, è Cameracensi S. Sepulcri cœnobio euocati, sub vnius Præpositi regimine, obtinent, & sacra officia in Capella B. Mariæ (sic istam Bruxellensis vrbis parocchiam basilicam vulgò nuncupant) ex instituto peragunt. Huius Præposituræ auctor fuit Godefridus I. cognomento Barbatas, Lotharingiæ ac Byabantia Dux, cuius diploma hîc vides.

Obijt anno  
1140. cum  
annos 44.  
imperasset.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, ego Godefridus Lotharingiæ Dux, ab Ecclesiarum Doctoribus intelligens omnium hominum salutem, ab eleemosynarum largitione plurimum constare. Principibus verò huius seculi, vtpote, qui amplius acceperunt à deo, vt retribuunt ei ad ipsum magis congruere: eò quod eleemosyna peccatum extinguat, &

animam

animam viuificet, & quia Prophetæ Danielis testimonio Rex quondam ille eleemosynis à peccatis redimi potuisset, si tam acquiescisset. Doctrinis horum & exēplis operam dedi, & quorundam fidelium meorum salubri vsus consilio, quæ aure perceperam, opere adimplere curavi. Denique caussa salutis animæ meę patrumq; meorum, ac filiorum, aliodium quoddam meum, Bruxellæ opido adiacens, & capellam in eo, ad honorem Dominici Sepulcri, Dominiq; genitricis Mariæ constructam, cum omnibus suis appenditijs Paruino Abbati, ac monachis S. Sepulcri Cameracensis Ecclesiæ, in eleemosynam dedi; in tantum videlicet liberè, vt nullus clericorum, siue laicorum, aut potentum, illud omnino in perpetuum violare præsumat, vt sui iuris aliquid ex eo vendicare queat: eâ tamen consideratione, vt ibidem Deo, & eius genitrici, die noctuq; obsequia diuina impendantur, nec non & obitus mei memoria, in prælibata capitali Ecclesia, à fratribus annualiter habeatur. Et, vt hæc donatio mea in æternum inconuulsa permaneat, sigilli mei impressione, ac legitimorum testium subscriptione confirmo & corroboro. ¶ Signum

Godefridi Ducis. ¶ Signum fi-

liarum eius Godefridi &

Henrici.

(:·:)

R 4

S. AN